

Caveant ergo fratres, & in mente habeant verba S. P. Francisci, quod si magna promissimus, majora promissa sunt nobis. Vide num. 1097.

LEGATA FRATRUM MINORUM

1185. **S**unt iusta, & licita à testatore relicta sub hac forma: *Instituto mihi heredem animam meam, ita quod executor testamentarii teneatur bona relicta vendere, & pecuniam in emendo panem, vinum, & alia necessaria in elemosynam Fratrum Minoribus hujus Civitatis infundere.* Et tunc testamentarii ad talem elemosynam solvendam cogi possunt ad instantiam cujuslibet de populo. Ita Villalobos tom. 2. tract. 30. disp. 12. num. 8. & Diana p. 3. tract. 2. ref. 33.

Imò, si non est addita conditio licita, ut bona vendantur, & in fratrum necessitates pretium convertatur legata valent; quia tunc censetur legans voluisse modo debito fratribus subvenire. Rodr. in Comp. verb. Legatum. Diana part. 10. tract. 14. ref. 65. Vide num. 901.

1186. Item potest Testator relinquere Fratrum Minoribus legata perpetua, tam libera, quam onerosa, quia qui potest facere elemosynam vivus, potest facere elemosynam mortuus, quoniam mortuus habet animam, quæ valet ejus fructum à fidei- lium remunerare animarum percipere.

1187. Quantum ad legata perpetua, sciendum est, quod Syndicos, & Procuratores concesserunt Ordini quam plures Summi Pontifices; ut ex una parte fratrum necessitatibus providerent, & ex alia, ut eorum paupertas, tam in particulari, quam in Communi illæsa servaretur: hac de causa omnium rerum modo licito fratribus à Fidelibus oblatarum Sancta Sedes apud se dominium recipit, ut in num. 1146. Vide num. 1200.

Pontifices autem non conveniunt omnes, quoad omnia, sed diverso modo, & quoad actus diversos concedunt Syndicos.

Nam Sixtus IV. in Bulla incip. *Dum fructus uberes*, anno 1471. apud Bullar. Rodr. pag. 142. concessit, ut possint nomine S. Sedis recipere bona immobilia, & redditus perpetui fratibus, & eorum Monasteriis relicta, & relinquenda, & in illis succedere abintestato, ipsa Romana Ecclesia eorum dominium in se suscipiente. Ad idem Pontifex per aliam Bullam, quæ incipit: *Licet nos dudum ad importunam nonnullorum instantiam concesserimus*, &c. prædictam concessio- nem pro Observantibus irritat, ut potè expressè eorum professioni, & paupertati contrariam. Qua de causa, etiam ante irritationem totum Corpus Observantium prædicto privilegio renuntiavit.

1188. Unde standum est institutionibus, & concessionibus aliorum Pontificum, videlicet Decretalibus Nicolai III. Exiit, qui seminat, & Clem. V. Exiit de Paradiso, tit. de Verborum signifi. in 6. Et declaracionibus, ac concessionibus Martini IV. Exultantes Martini V. relati à Sixto IV. cit. Et Pauli IV. Ex Cle-

menti de anno 1555. novissimè confirmatis ab Innoc. XI. per Bullam quæ incip. *Sollicitudo*, edita 20. Nov. 1679. his verbis.

„Declarantes tamen pariter, quod per præmissa, si non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cum eorum usus, non sit dispensatio in Re- gula sed modus à Romanis Pontificibus præde- cessoribus nostris provivus, pro puriori illius ob- servatione, sive hujusmodi Syndici assumentur ad præscriptum Constitutionum Nicol. III. & Clem. V. prædecess. prædict. sive sec. disp. Constit. rec. men. Mart. IV. & Mart. V. ac Pauli IV. præde- cessorum pariter nostrorum, prout illorum usus, in singulis familiis, Congregationibus, Reformationibus, & ut Provinciis Ordinis prædicti respectivè fuerit receptus.

1189. His præmissis: Dico, Fratres Minores non esse capaces legatorum perpetuorum, ita tamen, ut dominium directum ipsorum capitalium, seu rerum immobilium residet penes nos, aut penes Syndicum Apostolicum, ut Syndicum; quia ut Syndicus stat nomine Papæ, qui (videlicet Nicolaus III. in relata Decretali) talium legatorum directorum receptionem expressè prohibet; unde tunc Syndicus esset interposita persona, ut nostra, & sic dominium residet penes nos.

Esse verò capaces legatorum perpetuorum; ita tamen, ut dominium directum ipsorum capitalium, seu rerum immobilium residet penes tertiam personam, quæ repræsentat personam legantis, & dicitur amicus spiritualis, juxta dicta num. 1147. & 1165.

1190. Potest igitur Testator uti forma relata num. 1185. vel potest gravare heredem ad elargiendam Fratrum annuam summam elemosynæ. Vel relinquere ipsum bonum immobile, ut capitale super re immobilium investendum alicui Universitati, Communitati, Hospitali, aut tertie personæ cum obligatione, & onere solvendi annuatim certam summam elemosynæ Fratrum pro eorum necessitatibus ministrandam gratis, aut cum onere Officii, Missæ, &c.

1191. Et tunc (ut cum D. Bonaventura lo- quar) nullo pacto, Nos Fratres dicimur redditus habere, per nos, aut per interpositam personam nostram. Nec annuam pensionem Nos petimus, & recipimus ex jure, & tamquam debitam, sed ex gratia, & tamquam elemosynam.

1192. Ad quam annuam elemosynam annuatim solvendam ipsi executores sunt omnino obligati, minimè obligatione directè nobiscum contracta, sed cum ipso legante. Et hac ratione, si negligant, possunt civiliter à quolibet de populo cogi, quoniam Anima Defunctorum sunt pupilla. Unde pecunia annua respectu nostri semper habet rationem puræ elemosynæ, & verè per modum elemosynæ recipitur. Vide num. 1167. Et infra de præscriptione contra onus Missarum.

1193. Nec obstat, quod annuam summam im-

mediatè non à legante, sed ab ejus executore recipi- mus; quia sicut legans potuit nobis annuam elemosynam promittere; & tertie personæ eam solvendam committere, ipso vivente, ita, & ipso mortuo; executor nanque solvit nomine legantis.

1194. Quæ haud sunt formalitates; sed reales, & veri tituli, à D. Bonaventura longè prius excogitati in sua Quæstione Apologetica relata in Statutis nostris Barchinonensibus, & Segobienensibus ab Urbano VIII. die 20. Novemb. 1625. confirmatis per Bullam: *Injuncti nobis*, in tom. 5. Ballarii Lancusæ, pag. 109. quibus rerum immobilium dominium directum residet penes tertiam personam nomine legantis, & solum indirectè nos respicit, tamquam pauperes; & ut terminum elemosynæ à legante præscriptæ, & executori committit. Adeoque nullo pacto inde leditur Franciscana paupertas.

1195. Non est autem contra Regulam, & nos- tram paupertatem, quod talis executor, & tertie persona sit ipse Syndicus Apostolicus; quia Syndicus officium nec illi nocere debet, nec facit, quin possint alteri se obligare ad aliquod onus gratis subeundum, nempe ad suscipienda bona immobilia legantis cum onere distribuendi annuatim fructus pauperibus pro anima ipsius legantis.

Sicut enim potest, nedum nomine Papæ, sed ut tertie persona, & ut unus de populo executores negligentes ad annuam elemosynam solvendam cogere, cur non poterit ut tertie persona, & ut unus de populo onus à legante ad annuam elemosynam in Fratrum necessitatibus distribuendam suscipere? Tunc namque se habet, non ut interposita persona nostra, sed ut tertie persona, & persona legantis, & est amicus spiritualis, & quidem aptior, & promptior, tam ad Fratrum necessitatibus subveniendum, quam ad legantium animabus suffragandum. Vide Dec. de num. 1198. & num. 1167.

1196. Idem autem est prohibitum vi Statuti Congr. Gen. Rom. die 17. Maii 1603. *Inhibemus autem, ne Syndicus in sua persona hujusmodi annuos redditus recipiat distribuendos sedis fratibus.* Non quia paupertas nostra lædatur, sed ne apud ignorantem redditus per interpositam personam nostram retinere videamur: qua ratione D. Bonavent. cit. vult: ut in legatis tertie personæ, aut communitati alicui relictis cum onere certam elemosynam annuatim nobis distribuendi, fiat per Guardianum, & discretos Conventus protestatio, nihil nobis juris ex talibus donationibus velle habere, nec ex vi legati, & ut legatarii, sed per modum elemosynæ, & ut pauperes recipere.

Audi D. Bonav. qui post doctrinas jam à num. 1116. ad 1194. ferè relatas in fine subdit: *Quis verò Dominus docet, nos cavere ab hominibus Matth. 10. & Apostol. ab omni specie mala abstinere. 1. Thess. 5. Ne veniat ab ignorantibus transgressores Regula nostra, de- venimus aperte protestari, nihil nobis juris in talibus donationibus velle habere, sicut tenetur suspectus de fornicatio-*

ne omnia illa cavere, ex quibus posset ista suspicio probabilis judicari.

Quæ protestatio si facta non reperitur, fieri potest executoribus, vel Universitati, solum namque sit ad omne vitandum scandalum; seu ad mirationem sæculi.

1197. Soluturum prædicta per plures decisiones S. Congr. & Sedis Apostol. decreti, quæ hic libenter refero in gratiam meorum Religiosorum, atque Superiorum, ut sciant, quid consulere in novis legatis concedendis, & quomodo se gerere in jam fundatis honestandis; sæpè namque ex Confessariorum imperitia provenit, ut fideles legata perpetua constituunt, bona immobilia, seu foem, & capitale nobis directè legando, contra implicitam donantium, seu legantium voluntatem; Fideles enim, volentes Fratribus in corporis necessitatibus subvenire, non intendunt, eorum, & propriae animæ nocere, unde si licitam formam advertissent, licita forma legassent, ut dicemus de contr. usurario bona fide celebrato. Vide num. 1185.

FORMA DONATIONIS.

1198. **S**indico Apostolico Conventus, ut vocatur, de Araceli Fratrum Minorum de Observantia scuta mille donavit Pamphila Mota, donatione infra scriptis verbis concepta: *Donavit donatione irrevocabili inter vivos, D. Francisco Bessino, Syndico Apostolico perpetuo Venerabil. Conventus B. Mariae de Araceli, & aliis in dicto Officio Syndicatus, pro tempore successoribus scuta mille, una cum fructibus decursis, & decurrendis, sibi relicta à q. Virginia Agazari, cum condicione, quod idem Donatarius teneatur, & obligati sine postquam consecuti fuerint dicta scuta mille pro dicto Legato, ut supra, debita, illa investire ad eorum beneplacitum in aliqua re stabili, censibus perpetuis, seu locis montium non vacabilibus, & ex fructibus dicti reinvestimenti impendere, & applicare annua scuta triginta in perpetuum tot panis albis pro behestio, & servitio Infirmaria Venerab. Conventus Araceli Ordinis Minorum Observantia Sancti Francisci; cum condicione adjecta, quod si nullo unquam tempore dicti RR. PP. Guardiani, seu Superiores pro tempore dicti Conventus Araceli intenterint, quovis modo applicare velle dicta annua scuta triginta in aliam causam, præterquam supra dictam, tali casu, prædicta donatio, & omne commodum dictæ annua solutionis scutarum triginta, sit, & intelligatur ipso facto caducata, & devoluta, prout caducari voluit, & vult in favorem Venerab. Archiepiscopatus B. Mariae Consolationis.*

Procurator Rev. Fabricæ S. Petri, citatis prædictis Patribus, supplex petit per hanc Sacram Congregationem declarari: *An prænarrata donatio valeat sustineri?* Die 2. Junii 1663.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, licere dictis Fratribus prænarratam annuam panis præstationem, titulo dumtaxat elemosynæ recipere, & ad præscriptum Decreti Congregationis Fabricæ sub die 14. Februarii

1633. editi, & Syndico Apostolico non posse à Ministris dictæ Fabricæ, ratione hujusmodi donationis molestias inferri, nisi ad formam suprascripti Decreti.

Fr. Card. Chifius Prefectus.

Locus ✕ Sigilli.

1199. **C**lemens Papa X. *Ad futuram, &c.* Nuper per parte Dilecti filii Syndici Apostolici Conventus S. Petri de Syrchis in Sardinia Ordinis S. Francisci de Observantia, &c. Congregationi Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, &c. Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito, quod quondam Petrus Moros de Molinos in suo ultimo testamento, quod anno 1645. condiderat, diversa annua legata pro Misis per Fratres dicti Ordinis celebrandis, fecerat modo sequenti: *Primo mando*, quod meus hæres teneatur expendere pro consecutione tumul, & exequiarum quolibet anno lib. 26. pro una Missa cantata, & aliis sexdecim Misis pro Animabus meorum parentum celebrandis, à Fratribus Franciscanis S. Petri de Syrchis, & pro hoc legato volo, quod sint perpetuo obligata bona mea. *Item volo*, quod dictus meus hæres solvat ex dictis bonis meis quolibet anno lib. 40. quæ infervant pro oleo lampadis near Capella majoris in dicta Ecclesia S. Petri. *Item relinquo* in perpetuum Missas septem quolibet hebdomada pro Animabus Purgatorii, &c. & elemosyna sit septem solidorum pro quolibet Missa, &c. & proprietas illarum est 1400. libr. quæ sit super domo mea, in qua habito. *Item relinquo* pro elemosyna dicto Conventui S. Petri de Syrchis lib. 300. ut illæ applicari debeant per meos Curatores in loco securo ad rationem lib. 24. annuarum, & infervant pro emendis linteamentis pro pauperibus Fratribus infirmis. *Item* quia D. Mater mea reliquit, ut dicantur duæ Missæ perpetuæ quolibet hebdomada à dictis Fratribus; mando, quod super bonis meis solvantur quolibet anno lib. 28. *Item* quia D. Pater meus reliquit unam Missam perpetuam quolibet hebdomada celebrandam à dictis Fratribus, & reliquit pro elemosyna censum lib. 150. debitum à Gavino Paduano, &c. quatenus perdidit censum suprascriptum; mando, ut meus hæres solvat lib. 11. annuus, &c. & factis aliis pluribus legatis profanis, &c. instituit sibi hæredem Deum, & Animam suam, mandans suis executoribus, ut ad impletis, & satisfactis Legatis, instituerent unam tertiam dignitatem Archidiaconalem in Cathedrali Turritana cum anno redditu lib. 1000. & de residuo unum, vel plures Canonicas secundum capacitatem bonorum suorum, & aliàs, prout in dicto testamento dicitur uberius contineri. Et subinde in executionem dicti testamenti unus Canonicus, & unus Archidiaconus in Ecclesia Turritana erecti fuerant, dictisque Archidiaconatus ex dispositione ejusdem Petri testatoris collatus fuerat quondam Didaco Moros ejus Fratri Germano, & executori testamentario, qui bona fide, dum in vivis erat, eadem legata pia adimpleri curaverat; verum post ejus obitum de eodem

Archidiaconatu provivus fuerat dilectus filius Carolus de Capudoro, ad cujus favorem dilectus filius Provicarius Generalis Turritanus, nesciente quo jure, declaraverat Fratres Minores prædictos Legatorum capaces tantum factorum pro oleo lampadis, & linteamentibus infirmorum, & incapaces pro reliquis, quæ Archidiacono prædicto adjudicaverat, prout in ejus sententia dicitur contineri; unde dictus Syndicus tanquam unus de Populo pro suffragio Animarum, pro quibus instituta fuerunt dicta legata pia, & pro sua pietate erga dictos Fratres de Observantia, qui in magna necessitate propter elemosynarum deficiendum in prædicta Insula Sardinie reperiebantur, prout ex attestacione Juratorum, & Officialium Civitatis Turritanæ constare dicebatur; Nobis humiliter supplicaverat, ut omnimodum adimplementum Legatorum prædictorum V. Fratri Archiepiscopo Turritano, non obstante prædicta Provicarii Generalis Sententia, committere de benignitate Apostolica dignaremur. Instantia verò hujusmodi ad prædictam Cardinalium Congregationem à Nobis remissa, & de mandato ipsius Congregationis, citato dilecto etiam filio Alexandro Bulla, suprascripti Caroli de Capudoro Archidiaconi Procuratore, Syndicus prædictus plurimum cupiebat declarari, prædictos Fratres Minores de Observantia posse recipere præsertim annua legata Missarum per modum puræ, & simplicis elemosynæ, juxta Doctrinam S. Bonaventuræ in quadam Constitutione fel. record. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri, cuius initium: *Sacrosanctum Apostolatus Ministerium, &c.* proinde debere dictum Archiepiscopum Turritanum tanquam executorem ultimarum voluntatum, & præcipue piarum, curare omnimodum adimplementum eorumdem legatorum, & voluntatis dicti Petri Testatoris, compellendo hæredes, & Detentores bonorum ad satisfactionem, ne Animæ ejus Auctorum, & benefactorum suffragiis defraudatæ remaneret. Emanavit ab eadem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur: *Sac. Congr. EE. S. R. E. Cardin. negotiis, & consultacionibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, Procuratoris Archidiaconi Turritani sæpius citato, referente Eminentissimo D. Cardin. Portocarrero, decreevit esse dandas declarationes sæpe alias factas, videlicet, Fratres Minores de Observantia non posse possidere censum, & bona stabilia, posse tamen recipere per viam elemosynæ quicquid eis traditur ab executoribus ultimarum voluntatum pro celebratione Missarum, & Anniversariorum, & propterea censum committendum, prout presentis Decreti tenore committit Archiepiscopo Turritano, ut ad limites prædictæ declarationis in causa, de qua supra agit, procedat, & ad illius observantiam quatenus opus fuerit juris remediis, & in subsidium etiam Censuris Ecclesiasticis compellat. Romæ 3. Augusti 1674. Cardin. Branciacus.*

Locus ✕ Sigilli, &c.

Cum autem sicut dictus Syndicus Nobis subinde exponi fecit, ut Decretum hujusmodi firmius subfistat, & observetur exactius, Apostolica nostra confir-

firmationis patrocinio communitri summopere desideret: Nos ipsum Syndicum, &c. absolventes, &c. Supplicationibus ejus inclinati, &c. Decretum præsertim auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices, &c. irritum, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 22. Augusti 1674. Pontificatus nostri anno quarto, &c.

Observantibus de Luca Sacra Congr. Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultacionibus Episcoporum, & Regul. præposita: *Sæpius delevavit, Fratres Minores de Observantia S. Francisci, quamvis intenta dispositione. Exivi de Paralyso, & Constitutione Nicolai III. & Clementis VIII. sine incapaces obitum censu perpetuo, & bona stabilia, posse tamen per viam puræ, & simplicis elemosynæ recipere quicquid ab executoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione Missarum, pro ornamento Ecclesie, aliisque necessariis procurandis, juxta doctrinam D. Bonaventuræ relatum in Constitutione S. M. Urbani VIII. incipien. Sacrosanctum Apostolatus ministerium, &c. atque in præfatis casibus, dictos executores ultimarum voluntatum curare debere, ut hujusmodi pia dispositiones adimpleantur, ne testatorum Animæ debitum suffragiis defraudatæ remaneant. Quam quidem declarationem, illiusque tenorem, in casu, de quo agit, eadem S. Congr. servari præcipit, committendo Ordinario Lucenti pro tempore existenti, ut quatenus alius executor non exiit, præarratam pietatis dispositionem executioni demandet. Romæ 26. Martii 1677.*

Episcopus Urbanus, volens Canonicatum erigere ex quodam legato relicto Conventui S. Angeli in Vado, sub pretextu, quod Fratres illius legati incapaces essent, Sac. Congr. Fabricæ 28. Maii 1636. & die 30. Augusti ejusdem anni ad eundem Episcopum scripsit; legati summam Fratribus restituendam fore, eo quia Fratres erant capaces illius, non obstante perpetuo onere Missarum, & quoddam Festivitates celebrandi.

Et die 30. Julii ejusdem anni 1639. sub eadem forma scripsit ad Episcopum Civitatis Castellæ. Et quia Episcopus difficultatem movit, ne Fratres legati fructus reciperent, eadem S. Congr. die 28. Augusti 1640. scripsit ei, ut omnia removeret impedimenta, & testatoris voluntas impleteretur, &c.

Eadem S. Congr. in una Anconitana die 31. Decembris 1639. declaravit, quod Fratres illius Civitatis per modum elemosynæ capaces erant legati quinque annuorum futurorum, cum onore celebrandi officium, &c.

Potentissimo, & Catholico Principi D. D. Carolo ab Austria, &c. felicis prosperitatis augmentum, &c. ejusque Regnorum, & Provinciarum, &c. officialibus, &c. ad quos presentes nostræ pervenerint, seu quomodolibet presentantur: *Franciscus Columna in utraque Signatura SS. D. N. Papæ Reseren-*

daris, & causæque, & causam hujusmodi, &c. Salutem, &c. Noveritis, quod introducta aliis in partibus coram Vicario Generali Cataceni. lre, & causa inter Syndicum, & RR. PP. S. Francisci Minor. Observantia Civitatis Tabernarum Cataceni. ex una, & RR. DD. Theodorum, & Dominicum de Garcia ex adverso principalis, Partibus ex altera, de, & super solutione elemosynæ debite pro Misis, pro quibus agitur, & rebulque aliis, &c. Dicitur D. Vicarius Cataceni in causa hujusmodi procedendo suam protulit Sententiam, sive Decretum tenoris sequentis, videlicet: Per Curiam Episcopalem Cataceni. Visa particula ultimi testamenti quondam Felicianæ Riva Civitatis Tabernarum, conditi sub die 20. Maii 1634. &c. ac insuper inspecto tenore Bullæ S. D. N. fel. recordi Clementis Papæ X. sub data Romæ die 31. Augusti 1674. pro confirmatione Decretis Sac. Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, lati sub die 3. Augusti 1674. declarantis, Fratres Minores de Observantia posse recipere legata annua Missarum per modum puræ, & simplicis elemosynæ, etiam pro executione ultimarum voluntatum testatorum, visis actis omnibus, &c. ac Partibus pluries auditis, fuit provisum, & decretum, suspensionem duarum Missarum in hebdomada per eandem Curiam. Satam omnino tollendam esse, ac proinde RR. Minores de Observantia Conventus suprascriptæ Civitatis Tabernarum reintegrantur ad legatum celebrandi easdem duas Missas in hebdomada, & ab hodie in antea RR. DD. Theodorus, & Clericus Dominicus Garcia correspondentem eidem Fratribus scutos decem singulis annis pro celebratione prædictæ, &c. & ita, &c. datam, &c. die 24. Januarii 1691. Antonius Pavoni Vic. Generalis, &c. A qua inserta Sententia, sive Decreto, &c. appellantis DD. DD. Theodorus, & Dominico de Garcia, fuit hæc causa ad Curiam devoluta, & coram Illustrissimo, & Reverendissimo D. Thomaso in utraque Signatura Referendario, &c. Illustrissimo, & Reverendissimo D. A. C. locum tenente introducta, qui servatis servandis, procedendo, sua dissipativa Sententia, præsertim Sententiam, seu Decretum D. Vicarii Generalis Cataceni. confirmavit, & approbavit, ad effectum tamen exequendi super bonis per D. Victoriam Rivam donantem, &c. A qua Sententia Illustrissimo, & Reverendissimo Thomasi iterum appellantis DD. Theodoro, & Dominico de Garcia, fuit causa hujusmodi Nobis commissa vigore specialis commissionis ejusdem Sanctissimi, de qua in dictis actis, &c. Nos in causa, & causis prædictis, vite, rellæ, & legitime procedentes, &c. Tandem D. Hieronymo Leto ex adverso Procuratore dd. DD. Theodori, & Dominici Garcia ex adverso principalium, &c. per unum ex ejusdem Sanctissimi Carforibus more solito citato, nostram protulimus, & promulgamus dissipativam Sententiam præsertim Decreti, seu Sententia D. Vicar. Gener. Cataceni. & aliam Illustriss. & Reverendiss. Thomasi confirmatoriam, prout in dictis Actis infra scripti Archivi Romane Curie Scriptoris. Sed quia à tribus Sententiis conformibus, non liceat amplius appellare; ideo ex parte ejusdem Sanctissimi, & ad inf-

instantiam dicti Vener. Conventus, & RR. PP. Minorum de Observantia fuit Nobis directa, & præsentata commissio executorialis tenoris sequentis: *Sequitur tenor Commissionis.* Nos denique, &c. dicto D. Hieronymo Leto ex adverso Procuratore dicti Theodori, & Dominici Garcia ex adverso principalium, iterum ut supra citato, præsertim Sententiam, sive Decretum Vicar. Generalis Catacen. aliamque dicti Reverendissimi Thomati, dictam nostram respectivè diffinitivam Sententiam exequi mandavimus, & in illarum executionem, & rei iudicatio præfens mandatum executivum ad favorem dicti Syndici RR. PP. S. Francisci Minoris Observantia Civit. Tabernarum, Diocesis Catacen. contra, & adversus dd. Bona per dictam Victoriam donata dictis DD. de Garcia, pro ducatis viginti quinque moneta Regni debitis pro supradicta elemosina Missarum ab anno 1691. per totum mensem Junii proxime præteriti, ad rationem ducatorum decem pro qualibet anno, sine præjudicio aliorum per auctoritate decursum decrevimus, & relaxavimus, exequi volumus, & mandamus per presentes. Quocirca vos, Potentissimum Regem, vestrosque Regios Ministros studiosè requirimus, & perbenignè in Domino hortamur, attentèque rogamus. Vobis verò, aliis omnibus, & singulis supradictis, &c. tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, &c. pœna, &c. mandamus, quatenus statim visis præsentibus, & quoties præsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, &c. Ex parte nostra, seu verius Apostolica Auctoritate cogatis, & compellatis, cogique, & compelli faciatis, &c. dd. Theodorum, & Dominicum Garcia, ad dandum, solvendum, tradendum, &c. effectualiter exburbandum dicto Reverendo Syndico dd. PP. S. Francisci Minoris Observantia, &c. scuta viginti quinque moneta Regni, ut præfertur, debita, una cum aliis scutis quatuor, & Julis septem moneta Romanæ, pro expensis præsentis mandati, &c. In quorum, & singulorum fidem, &c. Datum Romæ anno 1693. Indictione prima, die verò 7. mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi D.N. Innocentii Divina Providentia Papæ XII. anno ejus tertio.

1200. Denique ad tutè, simul, & sine scrupulo procedendum in caibus, in quibus ob circumstantiarum varietatem, aliqua possit suboriri difficultas circa materiam paupertatis, valde juvat reflectere ad finem Sanctæ Sedis, & Summorum Pontificum; finis namque (ut dictum est num. 1187.) semper fuit, & est de Paterna benignitate modos aptos tradere, ut fratribus una cum pura observantia Regula, & paupertatis, necessaria juxta decemiam non desint, Constat ex Decretali Nicol. III. cit. His verbis.

„Quinimò omnino apparet in eis quoad domini-
„nium omnimoda abdicatio, & in usu necessitas,
„Hæc autem secundum exigentiam personarum, &
„locorum, Ministri, & Custodes simul, & separa-
„tim in suis administrationibus, & Custodiis cum
„discretionè disponant, cum de talibus interdum

personarum qualitas temporum varietas, locorum
„conditio, & nonnullæ aliæ circumstantiæ plus, mi-
„nuse, ac aliter provideri requirant. Ita tamen sic
„faciant, quod semper in eis, & eorum Actibus pau-
„peras Sancta sequeatur; prout eis ex eorum Regula
„videtur indicta.

Et infra, disponendo de legatis, uti supra, sub-
dit.

„Ad quæ legata solvenda, tam hæredes testato-
„rum, quàm executores se liberales exhibeant, quam
„Prælati, & etiam Sæculares, quibus de jure, vel
„consuetudine provisio ista competeret: cum expe-
„dierit, se ex officio suo promptos exhibeant ad
„pias voluntates decedentium adimpleandas. Nam
„& Nos etiam per modos licitos, & Fratrum Regula-
„re congruos intendimus providere; quod nec pia-
„defunctorum destinatio intentio, & hæredum cu-
„piditas legitimis iustis feriat, ac ipsi Fratres
„pauperes opportunis auxiliis non fraudentur. Vide
„num. 1155.

De paupertate, & legatis Minorum agunt Pontifi-
„ces, & Decretales relati num. 1188. D. Bonav. Hugo,
„Quatuor Magistri, Cordaba, Polizius, Monza, Longus,
„Privil. immun. Syndici. Vide apud Matthæum, vi-
„de infra de legatis.

DE SIMONIA.

1201. **S**imonia nomen dicitur à Simone Mago,
qui donum Dei emere volebat, ut ven-
deret: unde definitur: *Studiosa voluntas emendi, aut
vendiendi pretio temporalis aliquid spirituale, vel spirituale
annexum.* Melius definitur: *deliberata voluntas contrac-
tandi spirituale, vel spirituale annexum.* Sic enim com-
prehenditur omnis contractus etiam innocuatus, do-
ut des.

1202. Pretium temporale est omnis res pretio
æstimabilis: est triplex: *Munus à manu, munus à lin-
gua, & munus ab obsequio.* Per munus à manu intel-
ligitur pecunia, & quodlibet bonum temporale; per
munus à lingua intelliguntur preces, laudes, &c. in
favorem illius, qui beneficium, aut rem spiritualem
conferit; ut autem habeat rationem pretii, fieri de-
bent ex pacto: v. gr. *si intercedas pro me apud prin-
cipem, dabo tibi beneficium.* Per munus ab obsequio
intelligitur omne servitium temporale; quod exhi-
beri potest in gratiam alterius, & signa etiam hono-
ris, quæ si fiant loco pretii, & præsertim cum pacto,
simoniam inducunt: ut *confero tibi hoc beneficium,
cum pacto, & onere tale obsequium mihi præstandi.* Secus
simoniam non contrahunt.

1203. Nominè rei spiritualis intelligitur res su-
pernaturalis, quæ vel talis fit formaliter, ut gratia,
&c. vel casualiter, ut sacramenta, concio, sacramen-
talia, &c. quæ causant gratiam, vel pro effectu, ut
conferatio, absolutio, dispensatio, electio ad bene-
ficiam, præsentatio, confirmatio, &c. qui sunt ef-
fectus, & usus potestatis supernaturalis. Unde pro
dispensatione non potest aliquid exigi in pretium, be-
nè

nè verò per modum multæ ad piam causam applicanda.

1204. Dicitur aut *spirituali annexum*: talia sunt ea, quæ non sunt per se spiritualia, sed eis sunt annexa, ut jus patronatus respectu beneficii: vasa, vestes, &c. respectu Sacramentorum, & redditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale. Vide num. 1369.

1205. Res Sacræ, quæ per accidens habent annexam consecrationem, ut calix, patena, &c. possunt vendi ratione materiæ ex se vendibilis, sed non possunt plus vendi consecrata, quam vendentur non consecrata, quia tunc esset simonia; quando autem res temporalis vendi non potest, nisi simul spiritualis vendatur, tunc non potest, & ipsa vendi, ut Reliquia; potest vendi reliquiarum ratione solius materiæ. Vide à num. 961. ad 666.

1206. Lectio Theologiæ, aut casuum est vendibilis, quia est actus naturalis intellectus non connexus cum spirituali, seu supernaturali re.

1207. Simonia est triplex, mentalis, conventionalis, & realis. Mentalis non est nudum propositum committendi simoniam, sed vera traditio rei temporalis in pretium pro re spirituali, sine pacto, & conventionè explicita, sed solum mente concepta. Conventionalis est, in qua extrinsecè convenitur, & pacitur de pecunia, & venditione, sed adhuc non est secutus effectus ex utraque parte. Realis est, quando pactum est ex utraque parte executioni mandatum.

1208. Simonia dividitur in eam, quæ est contra jus divinum, & hæc est prohibita propter malitiam suam, ut Sacramentum, hostiam consecratam vendere; & in eam, quæ est contra jus humanum, quæ solum est mala, quia prohibita, ut cum Ecclesia prohibet sumi pretium pro aliqua re, & functione propter connexionem cum re sacra, cum tamen res illa, aut functio esset ex se vendibilis.

1209. Sic ab Ecclesia prohibetur, & simoniaca censetur. 1. *Venditio beneficiorum secundum id, quod temporale est, scilicet, quoad jus percipiendi fructus.* 2. *Venditio officiorum extrinsecè tantum ordinatorum ad res sacras, v. gr. Sacristæ, Oeconomorum, advocati Ecclesiæ, Thesaurarii.* 3. *Oblatio pecunie alicui facta, ut succedat alteri, ut det beneficium.* 4. *Pactum de resignando beneficio, vel de solvenda pensione, si alter beneficium tibi impetret.* 5. *Permutatio, & resignatio beneficiorum, item reservatio pensionis ex beneficio resignato, si absque Superioris auctoritate fiat, quæ si accedat, licita erunt.* 6. *Acceptio muneris, etiam sponte oblato pro examine ad Parochiam, pro collatione ordinum, pro prima tonsura, & literis dimissoriis, ex Trident. excipitur tamen decima pars aurei pro Notario, si salarium non habeat, & consuetudo permittat.* 7. *Exactio pecunie pro admissione ad Religionem, non quidem pro statu Religioso, qui, cum sit spiritualis, est jure divino invendibilis, sed pro onere sustentationis ipsius persone professe, nisi Monasterii tenuitas, vel consuetudo contra-*

ria excuset. Pro victu autem, & vestitu, pro sustentatione novitii pro tempore, quo in probatione est, potest aliquid accipi. Trident. sess. 25. cap. 16. Vide n. 1241, & 1242.

1210. In simonia non datur parvitas materiæ, quia nullum donum Dei sine gravi irreverentia vendi potest, unde non potest à mortali excusari nisi ob inconsiderationem, aut ignorantiam.

1211. Summus Pontifex committere potest simoniam in iis, quæ sunt Juris Divini, quia est illi subiectus, minimè in iis, quæ sunt Juris Humani: quia Princeps non ligatur suis legibus. L. *Princeps, ff. de Legibus.*

1212. Simonia est aliquid dare, vel recipere pro informando Prælate de qualitatibus prætendentis beneficium. Vide num. 1225.

1213. Non est simonia dare Prælato munera societati hominum solita ad captandam ejus erga te benevolentiam, & voluntatem in genere, licet postea Prælati bene affectus, non ex muneribus, sed ex tuis meritis motus, beneficium tibi conferret. Est simonia, si ea des ad alliciendam ejus voluntatem in specie ad beneficium, quia tunc circumstantiis attentis, adesset tacitum pactum: *do, ut des.*

1214. Si igitur tu des Prælato munera, ut illum fac moves ad conferendum tibi beneficium, & Prælati ex circumstantiis tuam animam cognoscens, ex muneribus motus beneficium tibi conferat, tunc habetur simonia mentalis ex parte utriusque, & pactum implicitum: quod si Prælati tuum animum non advertat, & jam bene affectus beneficium tibi conferat, non ex muneribus, sed ex tuis meritis motus, tu solus simoniacus mentalis eris. Ratio est, quia talis oblatio muneris in motivum pro collatione beneficii est æquivalenter emptio. Satis doctè exemplificat Cardenas: sicut in prudentum exitimatione Judex ex muneribus motus ferens sententiam, dicitur vendere iustitiam, ita collator beneficii ex muneribus motus confertens beneficium, dicitur vendere beneficium; & è converso munera dans, ut ad id moveat, dicitur emere beneficium. Vide num. 1219.

1215. Clericus, si suam famulatum præstet Prælato, intendens inde tanquam finem principalem beneficium, est simoniacus per munus ab obsequio. Si verò habeat pro fine principali decorem, & gratiam Prælati, pro minus verò principali beneficium, tunc est distinguendum, vel enim famulatur, ut alliciat, & moveat Prælatum ad dandum beneficium, & sic est simoniacus, licet beneficium tanquam finem minus principalem intendat; constat ex dictis; Vel famulatur, non ut sic alliciat, & moveat, sed solum cum aliqua spe obtinendi beneficium à Prælato bene affecto gratis, & liberaliter conferendum; non erit simoniacus, quia famulatur non fit, ut alliciat, adeoque non habet rationem pretii.

1216. Si Prælati famulatum Clerici, quem debet compensare mercede, velit compensare beneficio,

erit simoniacus, quia est virtualis commutatio beneficii pro obsequio.

1217. Quando res temporalis spirituali annexa habet pro fine intrinseco aliam rem temporalem, potest licite dari, & accipi propter illam tanquam finem minus principalem. Me explicio: Finis est duplex, intrinsecus, ad quem res ex natura sua ordinatur, & extrinsecus, ad quem res non ex natura sua, sed ex libera hominis intentione ordinatur. Sit exemplum: beneficium prout est quid spirituale, habet pro fine intrinseco solum cultum, & honorem Dei, prout vero continet subsidium temporale, habet pro fine intrinseco tam cultum Dei, quam sustentationem temporalem vitæ ipsius ministri, illum tanquam magis, istum tanquam minus principalem: ut huiusmodi etiam sunt Præbendæ, Capellanæ, & similia ad sustentationem vitæ ministrorum instituta. Hoc præmissis:

1218. Potest Prælati absque simoniæ labe beneficium Clerico pauperi conferre propter sustentationem eius vitæ tanquam finem ipsi beneficio intrinsecum, & sic Clericus recipere, dummodo talem finem minus principalem intendat; quia sic Prælati dans gratis, & liberaliter, ejus cui confert, utilitatem intendit, & nullum inde pretium reportat.

1219. Hinc, quando dicitur simonia esse dare spirituale propter temporale, aut e converso, intelligi debet de motivo extrinseco; minime de intrinseco ipsi beneficio. Ita Cardenas.

1220. Simonia committitur, si temporale datur ut gratuita compensatio pro re spirituali, vel e contra; quia compensatio est virtualis commutatio, & in re tollit titulum gratitudinis, quia ponit æqualitatem, quæ est actus iustitiæ; dum enim per actum gratitudinis intendis compensare, in re intendis ponere æqualitatem, & solvere; ecce pretium, & iustitiam. Vide in pag. 5. Prop. 45. & 46. ab Innoc. XI. damn.

1221. Simonia committitur in re nostra, & usura in mutuo, si aliquid datur ob gratitudinem, & gratitudo deducatur in pactum, v. gr. do tibi pecuniam, hac conditione, ut te obliges conferre mihi ex gratitudine beneficium, vel e converso, & in mutuo: Do tibi mutuum cum pacto, ut postea sis mihi gratus ad remutuandum, ad dandum aliquid in recognitionem, &c. quia pactum imponit obligationem iustitiæ, & consequenter tollit in re titulum gratitudinis, quæ tantum respicit donum antidorale, remuneratorium, & liberum, minime ut debitum, quale illud constituit pactum.

1222. Non est autem illicita spes gratitudinis, & offensio animi grati, v. gr. si collatori dicas: Non te panthebit exhibiti mei beneficii, sed ero gratus: Do tibi mutuum gratis, spero tamen, & te mihi fore gratum. Si sincerè verba proferantur, quia sunt verba urbanitatis; quæ spem, non obligationem gratitudinis designant, si verò circumstantiæ externæ sint tales, ut

videaris, inde movere collatorem ad beneficium, recurrunt dicta num. 1214. & tunc erit simonia non solum mentalis, sed etiam conventionalis, in quantum ex verbis; & signis externis significatur promissio compensationis. Similiter in mutuo, si circumstantiæ sint tales, ut per illam ostensionem spei videaris exigere aliquid ex gratitudine, usuram committis, quia novum onus mutuo addis. Vide in pag. 5. Prop. 42. ab Innoc. XI. damn.

1223. Si spondeas cum tuo Prælati, aut cum intercessore pro centum v. gr. aureis, quod non tibi, sed alteri sit beneficium collaturum, Simoniæ committis, & pallias; quia ea astutia intendis movere, unde non est sponso, sed emptio.

1224. Eum, qui dat pecuniam alicui tertio, ut intercedat apud alterum, ut ille immediatè intercedat apud collatorem beneficii, non esse simoniacum tenent Rocafull, & alii apud Dianam p. 4. tract. 4. ref. 151. & p. 10. tract. 15. ref. 5. quia non datur pecunia pro intercessione immediata, sed pro mediata; quæ est pretio æstimabilis, & remota à collatore beneficii, & inde temporalis.

1225. Sed dico, esse simoniacum. Tancr. de Rel. tract. 2. lib. 4. disp. 36. quest. 5. Rodr. & Port. quia licet talis intercessio sit mediata, est principaliter, & determinatè ordinata ad collationem beneficii; unde est virtualiter spiritualis, utpotè ordinata ad rem spirituales, nempe ad beneficium, & verè influit ad illud obtinendum; & sicut hac ratione, immediata intercessio, persuasio, & consilium, facta pro pretio, est simonia, in quantum est virtualiter spiritualis, & determinatè ordinata ad beneficium, ita & mediata intercessio est simonia.

Eadem ratione, simonia est dare pretium, ut ponatur in nominatione, seu in numero præsentandorum, aut eligendorum.

Tum quia de huiusmodi actibus verificatur Regula Juris ex Can. Si quis 7. causa 1. quæst. 3. Quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non provenit, neutrum inventum delinquit; quæ regula est mente retinenda. Vide num. 1369.

1226. Non est autem simonia, pretium dare familiari collatoris, ut viam aperiat, ut cum ipso collatore loquatur. Mendo in Epit. ver. Simonia, n. 2. quia aditus ille est indifferens.

1227. Facere aliquam actionem virtutis ob aliquod commodum temporale, tanquam finem principalem intentum, est simonia, quia est vendere actionem spirituales; minime verò, si fiat ob illud tanquam finem secundarium intentum: hoc pacto non est simonia celebrare Missam, concionari, &c. ob stipendium; dummodo primario cultus Dei intendatur, licet sine stipendio actio non fieret; quia emolumentum illud tunc est finis impulsivus, non essentialiter specificativus actionis.

1228. Pariter non est simonia, si pater det, aut promittat filio munus, si Sacramenta frequentet: infideli, ut baptizetur, vitam hæretico damnato, ut

fiat

fiat catholicis, alimenta juveni, ut fiat Clericus, dotem puellæ, ut fiat Monialis; quia id intenditur non per modum restitutionis, sed commutationis, quo pacto utique erit simonia; sed ut pura conditio, & finis impulsivus, quo scilicet intendit impellere infidelem, ut amore fidei moveatur ad suscipiendum baptismum, &c. qui finis cedit non in emolumentum donantis, sed in utilitatem ipsius recipientis, adeoque nullus habetur contractus, sed silitur in liberali donatione.

1229. Pro re igitur spirituali numquam potest res temporalis dari in pretium, bene verò. 1. Per modum subsidii in sustentationem ministri in gratiam alterius occupati. 2. Per modum elemosynæ. 3. Per modum oblationis, quæ Deo fit in persona ministri. 4. Per modum liberalis gratitudinis.

1230. Simonia juris divini, & naturalis est. Primò, vendere actus ordinum procedentes à potestate spirituali, ut absolvere, consecrare, benedicere, &c. Quia à potestate spirituali procedunt, & insuper ad effectum spirituales ordinantur.

1231. Secundò: Vendere actus jurisdictionis spiritualis, sive pro foro conscientie, ut vota commutare, &c. Sive pro foro externo, ut dispensare in matrimonio. Unde id, quod à Curia Romana pro dispensationibus in matrimonio exigitur, non exigitur in pretium dispensationis, sed per modum munitæ, per quam compensetur recessus à lege communi, & ad reddendum difficilem talem recessum, ad piam causam applicandæ: aut in vim sustentationis, & onerum ferendorum. Ita Pirhing. in Com. lib. 5. tit. 3. sect. 3. s. 1.

1232. Denique simonia juris divini, & naturalis est vendere actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, etiam si versentur circa materiam contentiosam, aut temporalem, & politicam. Horum ratio est, quia hi actus procedunt à potestate spirituali.

1233. Non est simonia dare alicui pretium temporale pro omissione actus spiritualis peccaminosi, etiam si sit actus jurisdictionis, v. g. ut se abstineat ab actu spirituali, quem cum injuria, sacrilegio, &c. est positurus; quia tunc pretium non datur ad actum spirituales parandum, sed ad peccatum omitendum. Quia ratione non est simonia dare pecuniam Electoribus, ne indignum eligant.

1234. Non est simonia pretium dare pro omissione actus spiritualis, qui est actus jurisdictionis, etiam si ad illum, quis ex officio tenetur, si talis omisio nullum effectum spirituales moraliter post se relinquit. Ut si quis Sacerdoti pretium daret, ut horarum recitationem omitat; quia talis omisio nec in se est spiritualis, nec effectum spirituales relinquit, nec est actus potestatis spiritualis.

1235. In casu omissionis, hæc fit regula generalis. Dare pretium pro omissione actus spiritualis, est simonia, si omisio sit actus Ordinis, aut jurisdictionis spiritualis, vel talis omisio post se relinquat effectum spirituales. Minime est simonia, si

talis omisio sit purus actus exercitii libertatis;

1236. Hinc non committit simoniam, qui pecuniam dat Sacerdoti, etiam Parocho, ut non baptizet, non celebret, non excipiat Confessionem. Committit verò simoniam, si pecuniam eidem dat, ut poenitentem post auditam ejus Confessionem non absolvat. Ratio disparitatis est; quia actus Ordinis, & jurisdictionis spiritualis in Sacerdote, & in Parocho, non est non baptizare, non celebrare, non excipere Confessionem, sed baptizare, celebrare, & excipere Confessionem; & hac ratione hi actus positivi non possunt sine simonia vendi; recentis autem omissiones talium actuum sunt præcisè actus exercitii libertatis, qui sunt pretio æstimabiles, adeoque possunt sine simonia vendi. Omisio verò abolitionis poenitentis post auditam ejus Confessionem, est actus Ordinis, & jurisdictionis spiritualis; nam potestas Sacerdotis, & Confessarii est potestas ligandi, & solvendi, ut constat ex tom. 3. n. 169. In priori igitur casu, dum venditur omisio, venditur libertas, in posteriori venditur actus ligandi, qui est actus Ordinis, & potestatis spiritualis. Melphi de Penit. cap. 15. resp. 5. Pirhing. lib. 5. tit. 3. sect. 3. s. 2.

1237. Non est simonia dare pecuniam Parocho, seu Sacerdoti, ut baptizet, aut absolvat constitutum in articulo mortis, alio non extante; quia datur ad redimendam vexationem, seu ad removendum prohibens; minime, ut pretium rei spiritualis. Quia ratio (ut bene ait Melphi cit. pag. 111.) non est simonia dare pecuniam infideli ad redimendum Eucharistiam, aut Reliquias, quas captivas retinetur. Quia hæc non est emptio, sed vindictio ab injuria: Pari ratione, non emo vitam, dum latroni pecuniam do, sed redimo, ne me interimat.

1238. Item non est simonia dare, vel accipere aliquid in pretium ad redimendam vexationem in Beneficiis, Dignitatibus Ecclesiasticis, & Præbendis, si quis habeat jus in re, seu jus acquisitum in illa. Ex cap. Dilectus 28. de Simonia. Hinc D. Gregor. Magnus (ut ex Baronio refert Fagnanus in lib. 5. C. Nobis, de Simonia, num. 105.) pecuniam Imperatori Mauritio contulit pro confirmatione sui Pontificatus, sine labe simoniæ; quia cum jam haberet jus in re ad Pontificatum per legitimam electionem, confirmatio tyrannicè usurpata non contulit Pontificatum; unde per eam pecuniam non fuit redemptus Pontificatus; sed executio muneris, ab illa vexatione se liberando. Ita Baronius cit.

1239. Quod si habeas jus ad rem, videlicet jus non jam acquisitum, sed primò acquirendum, tunc non licet abique simonia labe aliquid dare ad redimendam vexationem etiam injustam, & dolosam ab eo, qui non tantum obesse, sed etiam prodesse potest; licet tamen redimere ab eo, qui tantum obesse potest. Pirhing. in Comp. lib. 5. tit. 3. s. 6. Quia in primo casu datur illi, qui prodesse potest ad beneficium obtinendum, intercedendo, aut conferendo, &c.

& sic movet, & infuit, & inde pecunia data habet rationem pretij pro beneficio. In secundo casu, non datur pecunia, ut beneficium conferatur, sed ut vexator injulle infamare, nocere, & impedire destinat; unde tunc, qui pecuniam dat, illam dat solum, ut iniquas machinationes vexatoris impediatur, minimè, ut positive infuit in beneficii collationem, nam (ut supponitur) prodesse non potest.

1240. Jus ad rem quis acquirit per concursum habitum, in quo sit repertus dignior, vel per Præsentationem. Jus in re quis ad beneficium acquirit per legitimam Electionem, Collationem, Provisionem, Institutionem, vel Pofulationem, de qua infra num. 1276. *Pirhing. cit.*

1241. Simonia est dare pecuniam Patrono Beneficii Simplicis, & non Curati, quod est de Jure Patronatus laici: quia beneficium quale est annexum officium spirituale, nempe munus, preces, & officia Deo persolvendi; & hæc est ratio, cur aliquid dare in pretium pro beneficio, sit simonia. *Vide num. 502.*

1242. Dices: Licet sine labe usuræ recipere pecuniam cum usura à potente dare cum usura, & sine usura, qui tamen vult dare cum usura, ut in num. 372. Ergo licet sine labe simoniæ recipere beneficium simplex à Patrono potente dare cum pecunia, & sine pecunia, qui tamen vult dare cum pecunia; sequitur à fortiori; quia usura est prohibita jure Divino, simonia in Beneficiis jure Ecclesiastico, ut in num. 1209.

Respondeo, argumentum etiam probare in Beneficio Curato ob rationem de num. 1242. Disparitas tamen est; quia usura, esto sit de jure Divino, in dante nunquam potest esse licita; quia potest dare sine usura; in recipiente liberatur à labe usuræ; ex necessitate recipientis, & ex libertate dantis, qui potest non dare ad usuram; & præcepta divina non sunt supra vires humanas; aliunde talis receptio non est prohibita, sed solum datio, ut in num. 372. In casu simoniæ, licet prohibitio sit Ecclesiastica, cadit tamen, tam supra dantem, quam supra recipientem; quoniam tam datio, seu collatio, quam receptio est prohibita, sub labe simoniæ, ut modò de penis dicemus; quia seclusa prohibitione, curreret utique paritas.

Ceterum paritas tenet, si uniformiter de usura, & simonia dicatur; sicut enim in simonia quis peccat, si sine legitima causa recipiat, ita in usura; & sicut in usura cum legitima causa recipiens non peccat, ita nec in simonia, puta si recipiat media pecunia ad redimendam vexationem, ut modo dicemus.

Et maxime, quia quamvis receptio beneficii sit prohibita jure Ecclesiastico, quantum ad id, quod materiale est; est prohibita jure divino, & naturali, quantum ad id, quod spirituale est.

QUÆRES II:

1243. An simoniam committat, qui dat pretium

Electioibus pro prælatura, aut officio regulari, v. gr. Provinciali, Prioratu, Guardianatu, Dissinoriatu, &c. *N*egant. Bonac. tom. 1. de Simonia, disp. 1. q. 7. s. 2. num. 4. & tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 24. num. 4. Peyrinus de Subdito, q. 1. cap. 31. s. 9. Barbofi. Azorius, & alii apud Dianam part. 4. tract. 4. ref. 1366. Quia non sunt proprie beneficia, de quibus intelligi debent jura, nec habent jus ad redditus, ut in num. 502.

1244. Mendo in Epit. verb. Simonia, num. 5. concedit esse simoniacum, sed addit non contrahere ipso jure excommunicationem; quia sumus in odiosis, & jura excommunicationem lata sententiæ fulmiant pro beneficiis proprie dictis.

1245. Dico tamen, simoniam committere. *Rodr. in Comp. ref. 129. num. 5. Port. verb. Simonia, num. 6. Pignatelli tom. 10. cons. 44. Diana cit. Cajet. Filliuc. & alii apud ipsum.* Quia Prælatuæ sunt beneficia Regularia, & habent annexam autoritatem, & jurisdictionem spirituales, ut in num. 1209. Insuper Dissinoriatus, &c. (quod etiam est commune Prælatibus) sunt officia Ecclesiastica, annexam habentia autoritatem spirituales.

1246. Tùm, quia jus Patronatus, seu jus ad præsentandum; item jus ad beneficium conferendum, seu ad eligendum vendi non potest sine labe simoniæ, quia ordinatur ad beneficium, cui est annexum munus spirituale, ita & Dissinoriatus, &c. qui dat jus ad eligendum Prælatos Regulares.

1247. Insuper addo, hujusmodi simoniacum ipso jure contrahere excommunicationem. Ita citati DD. cum Sorbo, qui refert Bullas Pauli II. Pii IV. & Pii V. infligentes penas excommunicationis lata sententiæ, & privationis ipso facto ab officio, vel beneficio simoniacè adeptis, & inhabilitatis ad alia. Ubi nomine Officiorum usi sunt Pontifices. Et quidem de dictis Prælatibus, & officii verificatur diffinitio Simoniæ de num. 1201.

QUÆRES II:

1248. An sit simoniacæ commutatio Prælatuorum, & Officiorum Regularium?

*S*ine labe simoniæ potest commutari, etiam ex pacto, spirituale pro spirituali, v. g. Reliquia pro Reliquia, Missa pro Missa; quia simonia est commutatio rei spiritualis, aut spirituali annexæ pro pretio temporali.

1249. At hæc commutatio est simoniaca, si fiat in beneficiis, idque ex jure Canonico, ex cap. De hoc autem, de Simonia. Ita Com. Unde commutatio spiritualis pro spirituali non est censenda simoniaca, nisi in casibus expressis in jure.

1250. Hinc difficultas oritur. An sit simoniaca commutatio Prælatuorum, & Officiorum Regularium de num. 1243? Non esse simoniacam tenent Sanchez, Victoria, & Sotus apud Dianam part. 4. tract. 4. ref. 130. & alii de num. 1243. ob rationem ibi allatam. Et sic dicunt, non committere simoniam

niam electores, si inter se conveniant hoc pacto: Si tu dederis mihi tuum suffragium in hac electione, ego dabo tibi meum in illa alia: Vel si ad eundem effectum promittatur Guardianatus, aut Dissinoriatus.

1251. At dico, esse simoniam, ut constat ex dictis num. 1245.

QUÆRES III:

1252. An excusari possit à simonia praxis illa: videlicet: Quod in Capitulis, in quibus diverse sunt electiones, Electores in tractatu aliquis in Generalem, aut Provinciale conveniunt, ut postea tales eligantur in Provinciales, Dissinoriatos, Guardianos, &c.

*P*eyr. tom. 3. Privil. cap. 9. num. 7. Pelliz. & alii docent posse excusari ex duplici capite. Primò; quia sic eligendus non promittit aliquid pendens à sua libera potestate (quod solum videtur prohiberi in cap. De hoc, de Simonia) liquidem quantumvis eligendus id promittit, adhuc possunt Electores illum ligere, aut non eligere, & de facto plures inter eum contradicunt, ita ut in talibus electionibus, eligendus non habeat, nisi proprium votum. Unde praxis ista videtur potius quadam convenientia, seu concordatio electionum faciendarum ad terminandum statum electionis, quam realis aliqua promissio.

1253. Secundò; quia talis tractatus est merè consultivus, minimè conventionalis, aut conditionalis; nam queque utique esset simoniacus, quia intercederet verum pactum, & promissio realis.

Di. ap. p. 3. tract. 2. ref. 125. docet ex Rodr. & Villal. no committi simoniam, si inter Electores non interveniat pactum, sed tantum oblatio futuræ spei, ut si sciant: Da huic votum, & providebitur tibi de alia re.

1254. Quibus addo, præfatam praxim (reali promissione seclusa) præsentibus temporibus sæpè expedire, ad vitandas discordias, quæ aliàs prudenter timerentur, aut ad terminandum tractatum electionis pacificè, & sine scandalo, uti Religiosos decet, ad providendum de Superiore magis opportuno, & Religiosis magis caro, & pluries ad facilitandam electionem dignioris, aut ad vitandam electionem indigni, vel ne evasiet electio digni, digniori relicto, quæ prudenter timerentur ex sequela Vocallium, quam quidem Pater posset habere, aut ex indubita eorumdem unione, non respiciente Deum, sed propriam passionem, vel humanam officiositatem: Quæ uniones, non semel, dici debent potius factiones per Sacros Canones, & Constitutiones damnatas, quam Religiosa fraternitas.

Tùm quia, qui tenetur ad finem, tenetur uti mediis necessariis ad obtinendum finem, juxta regulam juris: Qui vult consequens, vult & antecedens conduens ad illud.

1255. Hinc Peyr. cit. num. 14. docet, Electores teneri ad tractatus merè consultorios præmittendos; adhibendo mediocrem diligentiam ad inquirendum digniorem.

Advertendum tamen est in hujusmodi tractatibus, ut si simoniam fugiant, in subordinationem non incidant.

SUBORNATORES

1256. *D*icuntur, qui donis, & promissis, comminationibus, & obsecrationibus importunis, laudibus, aut vituperationibus falsis aliquem inducere coantur, ut sibi, vel alteri suffragium in electionibus ferat: quive colligationes, aut inductiones fecerint. Ita in Conf. nostris, cap. 7. num. 43. Melphi de Pavis, cap. 15. q. 3.

1257. Obsecratio debet esse importuna, ita ut importet vehementer violentiam precum, aptam ad extorquendum suffragium; secus, si sit civilis, & blanda. Laudes pariter debent esse importune. Secus, si quis laudet, consulat, & conferat civiliter in ordine ad sanctam electionem dignioris.

1258. Vituperationes debent esse falsæ, aut de delicto vero, sed occulto, & ita ut timorem incutiant. Ut si quis male linguæ minetur: Si non dederis mihi suffragium, publicabo te fornicarium.

1259. Colligatio, & inductio habetur, cum quis, minimè zelo publici boni, sed ut de electione disponat, alios electores allicit, & impellit, ut secum permaneant.

1260. Penæ subornatorum sunt, excommunicatio lata sententiæ reservata Generali, si electio fuerit Superiorum inferiorum: est autem reservata Papæ, si fuerit electio Generalis ex Constitut. Gregor. XIII. Insuper privato actuum legitimum ipso facto.

1261. Requiritur tamen effectus secutus.

DE OFFICIIS ORDINUM MILITARIUM, & Academicarum.

1262. *M*endo in Epit. verb. Simonia, num. 6. & 7. hæc habet:

„ Certò probable est, non esse simoniam ven-
„ dere Commendas Ordinum Equestrium Hispaniarum,
„ nam minimè conferuntur propter munus Ecclesiasticum,
„ aut finem spirituales; nec requirunt Ordinem,
„ nem, adhuc nec primam Tonfuram, nec recitationem
„ nem Horarum: & præstantur ob labores pretio
„ estimabiles militiæ: & quamvis ex fructibus Ecclesiasticis
„ comparantur; tamen certum est, plures accipere
„ redditus ex ejusmodi fructibus, ob temporalem laborem
„ in Ecclesiæ utilitatem impensum. Idem est de
„ Habitibus Equestribus, quippe conceduntur intuitu
„ finis temporalis; & qui eos emit, non intendit emere
„ Religionem (est sit stricta Religio quælibet
„ Equestris, sicut est Ordo Joannis Hierosolymitani)
„ sed honorem & splendorem temporalem. Et quamvis ea
„ venditio, olim valde communis, sit jam prohibita, ob motiva
„ urgentia, & ob opinionem contrariam; tamen id non tollit
„ probabilitatem hujus opinionis; quæ ex consuetudine
„ antiqua vendendi eos Habitibus, non

parum roboratur; nam id nunquam fuisset permissum, nisi opinio certò probabiliter inderetur. Non est simonia accipere, & præstare pecuniam pro gradibus, qui in academiis conferuntur; nam omnia, quæ in eis præstantur, potestates, & privilegia, sunt bona naturalia pretio æstimabilia, & quæ ad finem supernaturalem proximè, & immediatè non referuntur; & quamvis conferantur potestate Pontificia, potest Pontifex conferre aliqua temporalia ad splendorem rerum spiritualium, & ad illas conducentia, sicuti illi gradus, maximè in Theologia, & Jure Canonico conducunt.

POENÆ SIMONIACORUM.

1263. **P**Rimò: Ob simoniacam collationem, & susceptionem Ordinum, etiam prima tonsuræ scienter habitam, incurritur excommunicatio major, & suspensio ab exercitio Ordinum susceptorum Papæ reservata, ita ut conferentes sint suspensi à collatione cujuslibet Ordinis, etiam primæ tonsuræ.

Secundò: Ob simoniam realem in beneficio scienter contractam incurritur etiam ab utroque excommunicatio major Papæ reservata. 2. Irrita est electio, præsentatio, confirmatio, unde talis non facit fructus suos, idque etiam si tertia persona tali modo proviſus vitium illud ignoraverit; nisi suspicatus sit, ne simonia committeretur, & omninò contradixerit; vel nisi à tertio data fuerit pecunia in fraudem, ut redderetur inhabilis; vel nisi electus simoniam ignorans beneficium per triennium bona fide possederit. 3. Fit inhabilis ad idem beneficium: quas penas incurrit ipso factò, etiam si simonia sit occulta. Ad nova autem beneficia non fit inhabilis, ante sententiam Judicis.

Simoniacus tenetur ipso factò renunciare beneficio, nisi dispensationem à Romano Pontifice obtinerit, & fructus utpotè nulliter perceptos: non tenetur restituere fructus bona fide consumptos, sed eos quos habet, quando mala fides incipit; quia tunc incipit esse possessor male fidei. Eos restituere tenetur Ecclesie, cui est facta injuria.

Pretium simoniacè acceptum restituendum est ipsi danti, si non sit secuta collatio; si vero sit secuta, probabilis, quod restitui debeat Ecclesie beneficii; quia Ecclesia tam dantem, quam recipientem punire intendit; vel pauperibus, ubi est consuetudine receptum.

SIMONIA CONFIDENTIALIS

1264. **H**abet locum in beneficiis, & tunc, est, quando quis alteri dat, cedit, aut procurat beneficium in confidentiam cum intentione eum obligandi, ut post aliquod tempus illud resignet sibi, vel alteri, v. gr. suo nepoti, amico, &c. vel cum onere, ut pensionem aliquam, seu fructus in totum, aut in partem solvat ipsi danti, cedere, procuranti, aut alteri ad ejus-

dem libicum. Hæc, si nullum intercedat pactum exterius, est simonia confidentialis mentalis: si intercedat, est conventionalis: si pactum est ex utraque parte completum, est realis; ut in num. 1267.

Quantum ad ejus penas ait Busem. *Simonia confidentia completa, dato, & accepto beneficio, licet accipiens promissionem vicissim non impleverit, inducit. 1. Excommunicationem majorem utrique parti contrahenti Papæ reservatam. 2. Annullat resignationem, & collationem beneficii, in quo est commissisa, & inhabilitat ad idem postea obtinendum. 3. Privat omnibus beneficiis, & pensionibus ante obtentis, non tamen ante sententiam latam. 4. Beneficia sic collata soli Pontifici referantur.*

Quæ leges sunt lata à Pio IV. & Pio V. ad evitandas fraudes, quæ in collatione, cessione, procuratione; & consecutione beneficiorum fieri possunt.

Licet potest Pontifex beneficium uni conferre reservata pro alio pensione, tunc enim nihil aliud facit, quam fructus beneficii dividere, partem beneficiario dando; & partem alteri benemerito conservando.

De Simonia agunt Scotus in 4. dist. 25. quæst. 1. lit. D. T. & dist. 13. quæst. 2. lit. H. Maffæus dist. 14. quæst. 3. Bonac. tom. 1. La Cruz pag. 16. Melphi de Pœnis, cap. 15. Fagnanus lib. 1. cap. 109 sine, de Arbitris, & lib. 4. tit. de Simonia. Pirhin, lib. 5. tit. 3. Clericatus, cap. 35. Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 4. Cardenas disp. 27.

DE BENEFICIIS.

1265. **B**eneficium Ecclesiasticum vocatur à Decretalibus etiam Præbenda, & definitur, ut in num. 502.

Beneficia Ecclesiastica multiplicitè dividuntur: & præsertim, alia sunt Curata, quibus est annexa cura animarum, sive quoad forum inernum, qualem habent Parochi respectu suorum Parochianorum, sive contentiosa, & quoad forum externum. Et alia non curata; quibus talis cura non est annexa.

Item alia sunt duplex, alia simplicia. Duplicia sunt, quibus est annexa aliqua solemnis qualitas juris; videlicet Cura animarum, jurisdictione, præminencia, aut administratione rerum Ecclesiasticarum. Hinc Archidiaconatus est duplex; quia habet præminenciam quoad locum magis honoratiorem. Simplicia sunt, quæ nullam talem solemniam habent, sed instituta sunt ad preces, & officia Deo persolvenda; hujusmodi sunt Canonici, tam Cathedralium, quam Collegiatarum.

1266. Insuper alia sunt manualia, alia non manualia. Manualia sunt, quæ conferuntur revocabiliter ad nutum Superioris: Talia sunt plura Regularium Beneficia, quæ nec sunt electiva, nec curata, pro Ecclesia Collegiata; si proviſio faciendâ sit de Prælo ordinariam jurisdictionem habente in Clericis suæ Ecclesie. Phœbus lib. 1. 15. ex pluribus Juribus. Vide num. 1345. & 1346.

1276. Ecclesie vacanti tribus modis provideri potest: per electionem, per postulationem, & per

De-

1267. Demum. Alia sunt Collativa, quæ conferuntur à libera voluntate eorum, ad quos collatio pertinet.

1268. Alia Electiva, quæ conferuntur mediante electione à Clericis, seu Canonicis facta, legitime à Superiore confirmata. Alia sunt Patronata, quæ nominante Patrono, ad quem spectat Clericum promovendum præstare, ab Episcopo conferuntur.

1269. Beneficium personale, seu personatus, est illud, quod instituitur ex redditibus certis, & stabilibus, autoritate Episcopi, in favorem alicujus personæ, quæ sola, vel alii duo, aut tres, juxta voluntatem fundantis obtinent illud, & postea Beneficium cesser, & redditus illi in alia opera pia convertantur, juxta mentem ejusdem fundantis.

1270. Ob personatus sunt Beneficia Ecclesiastica, quæ primam tonsuram exposcunt, & obligant ad recitationem Officii Divini, sed non sunt perpetua. Vacat Beneficium, si qui illud habet, nubar. Mendo in Epir. verb. Beneficium, num. 18.

1271. Capellania Collativa, quæ scilicet autoritate Episcopi erigitur ex num. 504. est Beneficium, cui est annexum onus Officii Divini, adeoque dat titulum sufficientem ad Ordines Sacros, & jus spirituale ad fructus percipiendos, nec potest conferri nisi Clerico, & à persona Ecclesiastica. Capellania verò non Collativa, quæ temporalis dicitur, est illa, in cujus erectione nulla intervenit Episcopi autoritas, sed consistit in assignatione determinata salarii pro celebratione, & servitio præstando; adeoque non est Beneficium, nec obligat ad Divinum Officium, nec dat titulum ad Ordines, nec pactum de ea, (si quod fiat) est simoniacum; bene verò si fiat pro Collativa.

1272. Potest autem Capellania de consensu Episcopi fundari cum expressa conditione, ut non teneatur Cappellanus Officium recitare, donec sit initiatus in sacris. Mendo verb. Capellania, num. 9.

1273. Non potest Beneficium conferri, nisi vacet. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 19. Ne quis alteri mortem procuraret, aut optet.

1274. Beneficio vacante, Collatoribus conceditur tempus sex mensium, intra quos, si conferre negligant, ipsi privantur pro ea vice potestate conferendi, & collatio ad proximum Superiorem devolvitur. Cap. 2. de Concess. Præbend.

1275. Si autem proviſio faciendâ sit per pluri-um electionem pro Ecclesia Cathedrali, aut Regulari, conceditur tempus trium mensium, intra quos, si electio celebrata non fuerit, proviſio devolvitur ad Papam, ex jure novo Extrav. ad Regimen 13. de Præbend. Pariter trium mensium tempus conceditur, pro Ecclesia Collegiata; si proviſio faciendâ sit de Prælo ordinariam jurisdictionem habente in Clericis suæ Ecclesie. Phœbus lib. 1. 15. ex pluribus Juribus. Vide num. 1345. & 1346.

1276. Ecclesie vacanti tribus modis provideri potest: per electionem, per postulationem, & per

nominationem. Electio est alicujus personæ idonea ad dignitatem canonicam vocatio. Postulatio est quædam gratia petio Superiori facta de promovendo alicquem ad Prælationem, ad quam de jure communi, propter defectum alicquem, vel impedimentum, eligi, seu promoveri non potest. Unde postulatio est personæ, quæ prohibetur eligi non propter vitium, sed propter defectum, puta si patiatur defectum natalium, ætatis, Ordinis, quatenus laicus est, aut in minoribus, &c. Nominatio est præsentatio unius, vel plurium à Patrono facta Prælo, ad quem spectat Clerici promotio, & Beneficii Collatio.

1277. Electio, postulatio, & nominatio conveniunt in hoc. 1. Quod electio, & postulatio fit facta à majori parte Capituli. Idem dic de nominatione si spectet ad plures. 2. Quod repellatur indignus.

Si tamen electio cum postulacione concurrat: videlicet: si una pars suffragiorum Capituli postulet unam personam, & alia eligat aliam, tunc, ut prævaleat postulatio; requirit, quod postulantes sint duæ partes ex tribus.

Quod si postulantes non adæquent duas tertias partes, sed eligentes excedant unam tertiam partem, prævalet electio. Ex cap. Scriptum 40. de Elect. Ratio est; quia postulatio est modus providendi extraordinarius, qui nititur gratia. Electio est modus providendi ordinarius magis fundatus in jure, & ideo minus requiritur ad electionem. Vide num. 1275.

1278. Differunt in hoc, quod per electionem acquiritur jus electo ante Confirmationem, jus inquam Beneficii, & administrandi; nam electio dat Beneficium, Confirmatio verò solum dat exercitium. Per Postulationem jus acquiritur postulatò, post postulationis præsentationem Superiori factam.

Per nominationem jus acquiritur nominato post præsentationem. Unde ante præsentationem postulant, aut nominantes à postulatione, aut nominatione recedere, minimè, post præsentationem.

Verum tamen est, quod sicut, si electus administraret ante confirmationem, ejus electio cassatur. Ex cap. Jam dudum, de Præb. Ita si postulat us administraret ante admittam postulationem, privatur jure postulationis, ex cap. Bone memorie. Et sic pariter nominatus, si administraret ante admissionem. Hinc electio dicitur confirmari, postulatio, & nominatio admitti.

1279. Item differunt; quia electio, & postulatio sunt tantum de uno: nominatio de pluribus, puta de duobus, aut tribus, ubi primo nominatus censetur dignior. Cap. Quorundam, de Elect.

Hinc, si unus tantum nominetur, erit quasi postulatio, non nominatio.

Denique differunt, quia electio fieri debet de digniori. Conc. Trident. sess. 24. de Ref. cap. 18. Postulatio autem fit de intelligibili, non ob crimen, sed ob defectum dispensabilem, ut in num. 1276.

1280. Electio indigni est nulla, unde electus non

non facit fructus suos, & tenetur illos restituere.

1281. Electio digni relicto digniori, etiam per concursum, est valida, sed illicita. Imò Fagnanus in lib. 5. cap. Mandato de Simonia, num. 25. cum Nav. vult, quod impediens, ne post concursum beneficium detur digniori, teneatur ad restitutionem. Vide infra, tit. de Restitutione.

Diana p. 3. tract. 5. ref. 110. subdit, probabile esse, & tutum in praxi, quod electores non teneantur ad restitutionem: fatetur tamen, affirmativam opinionem esse probabiliorē. Vide Tamb. tom. 1. lib. 8. tract. 3. cap. 4. §. 3.

1282. Diana cit. cum nonnullis, plures (ait) esse causas, quæ à mortali excusant eligentes minus dignum, digniori relicto. Primò: Quando excessus dignitatis non est notabilis. 2. Quando dignus est indigena, dignior vero alienigena. 3. Quando major pars vult eligere minus dignum. Quod procedit (subdit ipse) etiam si electores iurassent, eligere digniorem, & sic eligendus est minus dignus, quando est magis acceptus Conventui. In similibus namque casibus impletur juramentum, secundum rationabilem intentionem jurantis. 4. Si aliis, omisso digno, & digniori, eligendus foret tertius indignus. 5. Quando dignior præfesset alteri Ecclesiæ, & oporteret illum postulare. 6. Quando dignior esset implicatus negotiis externis, quæ illum à residentia retardarent. 7. Si dignior non esset expertus, sicut minus dignus. 8. Quando Collator tenetur confirmare electum à Patrono. 9. Si Beneficium ex prima sui institutione per Ecclesiam acceptata conferendum sit alicui ex certa familia, vel oppido. 10. Si fundator Beneficii Parochialis præfesset minus dignum. 11. Quando quis resignat beneficium. Ita ille.

1283. Illud certum est, quod dignior ille censendus est, qui omnibus pensatis, & respectu habito ad doctrinam, & mores, utilior Ecclesiæ futurus iudicatur. Ita Com. vide infra, tit. de Restitutione.

1284. Hinc loquendo de Superioribus Regularium Port. verb. Electio, num. 20. & 21. doctissime ait:

„ Si video, Petrum esse digniorem, & tamen major pars communitatis est inclinata infallibiliter ad Francicum minus dignum, sed tamen dignum; possunt suffragari Francisco minus digno: quia tunc frustraneum est suffragari Petro digniori, & nemo tenetur ad actum frustraneum. Vega in Sum. Moral. 1. p. verb. Electio, casu 1. At si major pars inclinatur ad indignum, nunquam licet illi suffragari.

„ Denique pro complemento, & consolatione aliquando Religiosorum attendenda est doctrina D. Thom. quodlib. 8. art. 6. quàm tradit Comitibus lib. 1. Ref. Moral. quest. 77. cum multis, ubi ex D. Thom. dicit, quod licet simpliciter, & absolute eligendus sit melior; hoc debet intelligi, quod non sit melior simpliciter, & absolute, sed sufficit, quod sit melior ad hoc officium, & hic

est melior secundum quid. Et ponit ibi exemplum Comitulos: quod aliquando minus sanctus poterit habere majorem potentiam, & industriam facultatibus; vel aliquid hujusmodi, quod pro nunc magis conducit ad bonum commune, & dispensationes spirituales ordinantur ad bonum Ecclesiæ. Denique arbitrium boni viri debet pensare varias circumstantias temporis, personarum, &c. ex quibus in ferre possit, quod quis pro nunc sit dignior secundum quid, id est, in ordine ad hoc officium: ita tamen, ut nunquam eligatur indignus.

Et Phœbeus lib. 1. tit. 12. num. 7. inquit: „ Qua ratione tradunt etiam Authores nonnulli apud Azor. in cit. cap. 15. q. 3. & 4. posse nunquam ignobili doctiori, ac sanctiori præferri, nobiliorem, & potentiorē sufficienti doctrina, ac probitate dotatum, quando scilicet Beneficium indiget defensore, vel protectore administrante; item præferri posse qui certò cognoscitur esse dignus, seu sufficienter doctus, & probus, relicto doctiori, cujus vita ignoratur; de qua re extat etiam declaratio Cardinal. Concilii citata à Pafec. in Prax. p. 2. cap. 5. art. 3. num. 10. Ex eadem quoque majoris utilitatis Elegit indignus descendit, externo magis idoneo præferri debere idoneum, qui fit ex eadem Civitate, vel de gremio Ecclesiæ, qui fit ex eadem Civitate, vel de gremio Ecclesiæ, ex cap. Nullus 13. dist. 61. Præsumitur enim utilis, & cum majori pericia administratur res Ecclesiæ, qui in eadem fuit transegit ætatem; & ita Sacrum Cardinalium Collegium ex ipsis Cardinalibus digniorem eligit, ut præscribitur in cap. Oportebat 3. cum seqq. dist. 79. quamvis extra Collegium alius ipso dignior inveniatur.

Vide Prop. 47. ab Innoc. XI. damn. in pag. 5.

PLURALITAS BENEFICIORUM

1285. Cujuscumque generis, est prohibita eidem personæ cujusvis dignitatis, etiam si Cardinalatus honore fulgeat, à Trid. sess. 24. de Reform. cap. 17.

1286. Tria autem sunt capita, quibus beneficia redduntur incompatibilia.

Primum: Si requirant continuam residentiam personalem. Talia sunt Beneficia Curata, v. g. duæ Parochiæ, duo Episcopatus, &c. quæ proinde eidem conferri non possunt, nisi unum in titulum, alterum in Commendam temporalem.

Secundum: Si sint Beneficia uniformia sub eodem tecto, v. g. duo Canonicatus in eadem Cathedrali, quamvis sint Beneficia simplicia; quod dispositum est, ne ob Beneficiorum confusionem minuatur divinus cultus.

Tertium: Si unum ad congruam Clerici sustentationem sufficiat. Nam plura Beneficia simplicia conferre eidem, cui unum sufficiat, est bona Ecclesiæ dissipare, non dispensare. Et Trident. cit. concludit:

Statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium Ec-

cle-

clesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui conferitur, honestè sustentandam non sufficiat; licet nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requiratur, eidem conferre.

REDDITUM ECCLESIAE

1287. A Conc. Rom. 2. cap. 4. sub S. Sylvestro 1. ut patet in Summ. Concil. pag. 33. hæc facta fuit distributio.

Commoneo autem vobis omnibus mihi consoribus monimentum hoc, ut de redditibus Ecclesiæ quatuor partes fiant, quarum una cedat Pontifici (seu Episcopo.) Altera Presbyteris, & Diaconis, & omni Clero. Tertia Templorum, & Ecclesiarum reparatiōi. Quarta pauperibus, & infirmis, & peregrinis.

1288. Finis hujus dispositionis ortum habuit, quoniam in primitiva Ecclesiâ fideles omnes (ut habetur Actuum 4.) vivebant in communi, quia tamen laici ceperunt bona propria retinere, & modus vivendi in communi solum apud Clericos remansit; ideo edita fuit allata dispositio.

1289. Nunc autem (ait Bardi in Selectis, lib. 3. quest. 10. sect. 1. num. 8.) recentis dispositio non viget cum illo rigore, saltim quoad omnia. Nam nunc Clericis Cathedralibus inservientibus sunt assignatæ Præbendæ, & Ecclesiis pro fabrica, & suppellectilibus sunt applicati quamplures redditus, & oblationes; ut etiam advertit Barbosa de Jure Eccles. lib. 3. cap. 17. num. 7. & 8. qui ideo subdit, vigorem illum de quarta parte fructuum eroganda Ecclesiæ, & Clero, remitti. Ita Bardi. Qui concludit, ad præsens servandam esse consuetudinem. Vide num. 1295.

De absentia tempore vide hic num. 513. usque ad 549. De ætate vide tom. 3. à num. 104.

QUÆRES I:

1290. An Episcopi, & alii Beneficarii sint Domini reddituum, seu fructuum, qui ex suis beneficiis ipsis proveniunt?

Respondet, esse veros omnium fructuum Dominos. Bardi cit. sect. 3. Suarez, Vazquez, Bonac. Barnes, Sotus, & alii 20. Doctores apud ipsum. Insuper ex Canonistis Fagnanus in lib. 3. cap. Si quis sanè, de Peculio Cleric. num. 3. Pirhing. in Comp. lib. 3. tit. 25. §. 2. & 3. cum aliis multis.

Est contra Panorm. Sylvestr. Paludan. & alios, qui volunt esse dispensatores, & administratores. Item contra Cajet. Qui tenet esse Dominos, quoad portionem fructuum suæ sustentationi necessariam, quoad excessum verò dispensatores, & inde, si de superfluis disponant, non in pauperes, aut Ecclesiam, teneri ad restitutionem.

1291. Ratio communis, & firma nostræ resolutionis desumitur, ex Concil. Trident. quod in sess. 24. cap. 12. de Reform. contra Beneficiorum Curatum, Canonicum, & Præbendam disponit, quod, nisi intra duos menses à die possessionis, fidei professionem emittat: Privetur dimidia parte fructuum,

quos ratione etiam præbendæ, & residentia fecit suos.

1292. Item idem Conc. in sess. 23. cap. 1. de reventibus loquens statuit, quod si quis absque legitima causa à Superiori approbata, à sua Ecclesiâ abire ultra tres menses, sive continuos, sive interruptos sub eodem anno; Eum pro rata temporis absentia fructus suos non facere.

Ex quibus locis per locum ab opposito solidè inferitur, quod si fidei professionem præscripto tempore emittant, & uti supra, non abint, fructus suos faciant; & consequenter, quod sint veri Domini omnium fructuum, qui ex Beneficiis Ecclesiasticis ipsis proveniunt.

1293. Idem confirmat Julius III. per Bullam Cum sicut nobis, editam 26. Junii 1550.

Unde concludo cum Fagnano cit. & aliis, Episcopos, & Beneficiatos omnes equiparari usufructuarius in vita, & usufruarii in morte, quantum ad hoc, quod in vita habent verum dominium, non quidem proprietatis, & quoad fundos, sed quoad redditus, & fructus. Vide num. 1302.

1294. Objicies pro parte opposita, quosdam antiquos Canones, maxime cap. Clericos 1. quest. 2. & cap. Quoniam 16. quest. 1. Ubi Hieronymus ad Damasum Papam, ait: Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragaria bona: Qui autem bonis parentum, aut suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiant, sacrilegium profecto committunt, & per abusivum latium, iudicium sibi manducant, & bibunt.

1295. Respondeo cum Fagnano cit. num. 16. Bardi, & aliis apud ipsos, tria esse distinguenda tempora. Primum primitivæ Ecclesiæ, tempore Apostolorum, quo omnes fideles vivebant in communi.

1296. Secundum, quo laici ceperunt bona propria possidere, & modus vivendi in communi remansit solum apud Clericos. Et hoc tempore communita fuit distributio in quatuor partes, ut in num. 1287. atque editi fuerunt relati Canones de num. 1294. quibus dispositum fuit, ut Clerici, qui bona patrimonialia possidebant, viverent solum de illis, & redditus Ecclesiæ eis competentes distribuere Clericis indigentibus, & aliis pauperibus.

1297. Tertium tempus est, quo ceperunt Clerici bona propria possidere, Ecclesiæ dotari, ex cap. Nona, de Consecrat. dist. 1. cap. Pastoralis, de His, que sunt à Prelat. Item pro Clericis, & ministris erecti fuerunt tituli Beneficiales, & Præbendæ, cap. 1. & per totam dist. 22. C. De multis, de Præbendis. Et hoc tempore dispositum fuit in cap. Episcopi, in cap. Quia nos, de Testam. & aliis Juribus, ut Clerici possint licitè vivere de redditibus Ecclesiæ, & suis hæredibus bona patrimonialia relinquere.

Et novissimè Trident. relatum in tom. 3. à num. 48. ad 73. disposuit, ut nullus Clericus ad Ordines Sacros promoveatur, nisi beneficium, aut patrimonium possideat suæ congruæ, & honestæ susten-

ta-

tationi sufficiens, sub pœna Episcopo scienter aliter promovendo, ut teneatur de suis fructibus eum alere: vide loca citata.

1298. Hinc clarè constat, per relatos, & alios posteriores Canones cessasse antiquos, & simul non vigere rigorem distributionis in quatuor partes, ut dictum est num. 1288. Teneri tamen Episcopos de fructibus, qui suæ honestæ sustentationi supersunt, sub mortali elemosynas elargiri pauperibus, quibus aliter subveniri non potest, ut modò dicemus.

Corroborentur dicta ex Juribus nostri temporis nunc adducendis.

QUÆRES II:

1299. An Episcopi, & Beneficarii possidentes sufficienti Patrimonium, possint licite de redditibus, & fructibus Beneficij Ecclesiastici, & proventus Ecclesie vivere juxta decentiam status, ac dignitatis: Patrimonium una cum fructibus servato ad alios usus, & de eo disponere, etiam aliis donando, prout eis placuerit?

R Esp. posse. Doctores num. 1290. cit. Probatur ex Innoc. in cap. Episcopus, num. 1. de Præbend. Non credimus, quod qui habet beneficium vivere debeat de Patrimonio, sed de Altari. Vide num. 1297.

1300. Quod est conforme dicto Pauli 1. ad Cor. 9. Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? &c. Nescitis, quoniam qui in Sacrario operatur, qua de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Et 1. ad Timoth. 5. inquit: Dignus est operarius mercede sua.

1301. Idem dicendum est de bonis propria industria acquisitis.

QUÆRES III:

1302. De quibus possint testari?

R Esp. posse testari de bonis Patrimonialibus, & propria industria acquisitis, minimè de fructibus beneficij. Doctores cit. num. 1290.

Probatur ex cap. Episcopi 12. quæst. 1. ubi afferitur decretum Concil. Agathensis, cap. 18. Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent hereditibus suis, si voluerint, derelinquant. Quicquid verò de provisione suæ Ecclesie fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesie reservare censuimus.

Item ex Alex. III. in cap. Quia nos, de Testam. Licet Clerici de his, quæ paternæ successione, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, & amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant; De his tamen, quæ consideratione Ecclesie perceptorum, nullum de jure facere possunt testamentum.

1303. Quibus accedit communis Ecclesie consuetudo, qua nedum pauperes, sed etiam divites ad Beneficia promoventur, eisque sustentantur.

1304. Dices: Beneficarii sunt Domini fruc-

tuum Beneficij: Igitur possunt de illis testari.

Respondeo negando consequentiam, quia stat, quod non possint de illis testari, cum hoc, quod sint eorum Domini; nam etiam impubes non potest de suis bonis disponere, & tamen est eorum Dominus. Ratio est, quia dominium est facultas disponendi de re quoad omnes usus à lege non prohibitos; à Jure autem Ecclesiastico in relativis locis, prohibuitur est Beneficariis de fructibus beneficij testari, ad Clericorum cupiditatem cohibendam quoad parentes ditandos. Vide num. 1293.

QUÆRES IV:

1305. Quæ sit congrua Beneficiorum sustentatio? Congrua sustentatio, pro qua licite Beneficarius potest fructus, & proventus Beneficij Ecclesiastici applicare, non est eadem omnibus, quia à quamplurimis circumstantiis attendendis dependet; unde remittenda est arbitrio prudentis.

1306. Et quidem sub congrua sustentatione veniunt non solum necessaria, verum etiam decentia juxta conditionem status, personæ, & circumstantiarum. Bardi in Selectis, lib. 3. q. 10. sect. 6. & 7. Fagnanus in lib. 3. cap. Si quis sanè, de Peculio Clerici, cum multis apud ipsos.

Sub congrua sustentatione comprehenduntur donationes remuneratoriæ; etiam liberales; & gratuita; maxime de consuetudine; expensæ ad hospitandum Magnates, &c. hæc namque decent, & conveniunt decori status, felicitati gubernij, & incrementum virtutum.

1307. Hinc potest suis consanguineis, & familiaribus donare usque ad status decentiam. Ex cap. Studeat, in fin. 50. dist. his verbis: Præcipimus, ut tale beneficium sibi Ecclesie concedatur, quo & ipse, & sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solarium.

1308. Potest de Ecclesie redditibus Sorores, vel alias consanguineas dotare, si ex se, aut ex parentibus, ad quos primariò dotare spectat, satis non habeat. Fagnanus cit. ex cap. 1. de Cohabit. Cler. & Mulier.

1309. Cavendum autem est, ne quoad consanguineos, & nepotes sanguinis passio obcecet, & plus æquo excedatur. Unde (ut refert Fagnanus cit.) D. Bernardus in declaratione super illis verbis Evangelij. Ecce nos relinquimus omnia, sic ait: Vivat de Altari, ut juxta eundem Apostolum alimenta, & quibus regatur habens, his contentus sit. De Altari, inquit, vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non dixerit, non sibi de bonis Ecclesie ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, aut superfluitate dispergat, non extrahat de sanctuariis Ecclesie consanguineos suos, aut nepotes, aut nepes impetui tradat: & Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 30. relatus à D. Thom. in 2. 2. quæst. 185. art. 7. ad 2. Haec est approbata liberalitas, ut proximis seminis tui ne desicias, si egere cognoscas; non tamen, ut illos ditiores fieri velis: ex eo quod tu potes conferre inopibus.

1310. Insuper quoad alios usus, est attendenda moderatio. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 1. Episcopis monita his verbis.

Quapropter exemplo Patrum nostrorum, in Concilio Carthaginiensi, non solum jubet, ut Episcopi modesta suppellectilibus, & mensa, ac frugalitè victu contenti sint: verum etiam in reliquo vite genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, DEI ælum, ac vanitatum contemptum præferat.

1311. Item consideranda venit. Primò ratio loci, ubi est beneficium: Plura namque conveniunt Episcopo Urbis, quæ est Regia Principis, aut caput Regni, quàm Episcopo parvæ Urbis.

Hinc Paulus V. per Bullam in Eminentiam editam 8. Aprilis 1606. facultatem concessit Clericis incolis, & Civibus Urbis Romæ; & ejus districtus infra decem milliaria, de omnibus redditibus, fructibus, & proventus, Ecclesiasticis quomodolibet eis provenientibus, in eadem Urbe, ac ejus districtu infra decem milliaria consistentibus, liberè disponendi, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate, in favorem suorum consanguineorum, & affinium, aut personarum extranearum: Atque etiam decrevit, ut illis abintestato decedentibus, eadem ad eorum heredes abintestato proveniant.

1312. Secundò consideranda venit ratio nobilitatis personæ beneficiarii, aut dignitatis, seu qualitatis Beneficij.

Hinc in Extrav. Execrabilis Joann. 22. Ubi obtinentibus ex dispensatione plures dignitates, personarum, aut beneficia curata, præcipitur, ut non possint retinere nisi unum, & simul ab hac lege excipiuntur Cardinales, & filii Regum, quibus proinde plurius incomparabilium beneficiorum retentio conceditur.

1313. Cujus rei duæ sunt rationes, una, quæ innuitur in Extrav. relata. Nam Cardinales Summo Pontifici Universalis Ecclesie inserviundo, singulis Ecclesiis profunt.

Alia; quia ipsi Eminentia dignitatis (ait Fagnanus) convenit familiaris apud se habere claros, minimè sordidos, vel obscuros. Hinc (ut idem rectè observat) in prænochio litterarum commendæ beneficij, hæc solent apponi verba: Ut tuum statum juxta Cardinalatus sublimitatem decentius tenere, & expensarum onera, qua te jugiter de necessitate subire oportet, facilius perferre valeas.

1314. His de causis novissimè Clem. IX. in Constit. 19. Incip. Cum à prima, edita 28. Febr. 1668. apud Bullarium Lantusæ, tom. 6. pag. 281. Privilegia S. R. E. Cardinalium testandi de bonis, ac juribus ab ipsis dum vivunt, quomodolibet acquisitis à bonis, redditibus, emolumentis, & juribus Ecclesiasticis, extendit etiam ad fructus civiles, aut naturales inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos, aut eorum patrimonio non incorporatos, atque etiam ad fructus pro affectibus bonorum, ac

jurium quorumcumque, si fructus, tam civiles, quàm naturales conductoribus, & affectuariis locati, & concessi per illos erunt percepti, quamvis termini solutionis affectum per locatores fuerint posticipate conventi. Hæc Pontifex.

QUÆRES V:

1315. An si beneficium sit tenue, & congrua sustentatione detracta, nihil pro pauperibus superflue, adhuc fructus beneficij sint dividendi?

R Elpondeo cum Fagnano in lib. 3. cap. Si quis sane, de Peculio Clericorum à num. 27. Alimenta Clerici esse anteponenda.

Probatur ex cap. Nulli Episcoporum, & s. His ita respondetur 12. q. 1. Sicut perfectiorem charitatis manente, licet res Ecclesie debeant esse communes, primo tamen sibi, & suæ Ecclesie deservientibus subministrat; reliqua, quæ supersunt solum usibus ministrantur; ita & præbende Ecclesiarum, eadem charitate manente, pœi, & religiose possunt distribui; nec tantè rebus Ecclesie, ut propriis, sed ut communibus utilitibus deserviant, ut ex his, quæ sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat: si qua verò suis necessitatibus supersint, in communes usus Ecclesie expendat.

Et D. August. relatus in cap. Qui vult, de Pœnit. dist. 3. ait: Qui vult elemosynam ordinatè dare, & se ipso debet incipere, & eam sibi primum dare; est enim elemosyna opus misericordie, verissimèque dictum est: miserere anime tue placens Deo.

1316. Ratio est; quia alimenta ex redditibus beneficij debentur Clerico ex licentia, pauperibus ex charitate. Unde pauperibus debentur superflua. Vide à num. 410. ad 415.

1317. Concluditur, alimenta Beneficariis esse anteponenda reparationi Templi, ex C. de His, de Eccles. adif. Reparationem vero Templi, tum spectet ad Dei cultum, esse anteponendam sustentationi pauperum.

1318. Auctoritates, quæ adduci possunt in contrarium, sunt intelligendæ de fructibus, qui supersunt, detracta decenti Beneficarij sustentatione; hi quidem sunt dividendi. Ita Fagnanus cit.

1319. Conari autem debent Beneficarij, ut templa, quorum Beneficia sunt eis commendata, decentibus suppellectilibus, & necessaria reparatione non desistantur, sed in quantum possunt de illis provideant, insuper attendere debent, ac Commendatæ, & Abbatie Ecclesiasticæ ipsis collatæ sint fundatæ cum aliquo onere alendi pauperes. Ac proinde recolenda sunt dicta num. 1309.

QUÆRES VI:

1320. An Episcopi, & Beneficarii non erogantes pauperibus redditus superfluos beneficiorum, aut eis ad malos usus abutentes, teneantur ad restitutionem?

R Affirmant Doctores cit. num. 1290. qui tenent, non esse veros Dominos fructuum.